

ges præstatu-
ros , atque ad religionis dissensiones tollendas
quamprimum concilium universale cogi curatu-
ros pollicentur :
In Morinis , ac Belgio utrinque capta oppida , Hedino ex-
cepto , restituantur : Taravanna in Galli potestatem redeat :
Quæ in Monferratensi ditio-
ne loca occupata fuerant , Man-
tuanorum Duci tradantur ; ipse vero incolis , qui ad partes
Regum transierint , id minime fraudi fore , jurejurando sese ob-
stringat : Valentiam Insubrum civitatem Galli deserant : Cir-
num insulam Genuenses uti antea possideant : Qui ex Corsis
Henrico faverint , pœnæ immunes sint : Oppidis , quæ in He-
truria Galli possident , decedant : Sabauda quæcumque Gal-
liarum Rex in Subalpinis occupaverat , Augusta Taurinorum ,
Pinarolo , Clavasco , Cberio , Villanova , in Hastensi agro ;
quæ per triennium in ejus potestate sint , exceptis , restituat ,
quo tempore Philippus Hastam , Vercellasque possideat . Ut
pax firmiter coalesceret , connubii nexus accessere ; Philippus
Elisabetham , Henrici Regis majorem natu filiam , quadrin-
gentorum aureorum millium dote tributa , uxorem duceret ;
Emanueli Philiberto , Sabaudia Duci , Margareta Henrici for-
tor connubio jungeretur ; trecenta aureorum millia , ac Bi-
turigum , quoad ea viveret , ditio tribuerentur , dum æque
cum Regibus amicitiam coleret . Hæ præcipuæ pacis leges
fuerunt . In amicis vero recensendis honorifica utrinque Vene-
torum mentio facta . Optatæ pacis nuntio Venetias allato ,
publicæ lætitiæ egregia signa edita ; Senatus decreto in divi
Marci basilica solenni more divina peracta sunt ; supplicatio
circa forum , cuncta urbis affluente multitudine , religiosa
pompa habita ; cum in affabre factarum contignationum cir-
cumlatione auri , atque argenti innumera cælata , sculptraque
vasa oculos intuentium perfringerent , exaggeratasque urbis
opes mirifice ostentarent . Qui de sancita pace Senatum cer-
torem faceret , Theophilum Calcagninum Henricus Venetias
misit . Eamdem Philippus per literas , perque Hernandum a-
secretis significavit . Legati duo , Joannes Capellius , Marcus
Antonius Amulius , tunc Veronæ præfecturam gerens , desi-
gnati ; quorum ille in Galliam , hic in Hispaniam ad gratula-
tionis munus cum Regibus obeundum proficiscerentur .

Intestinis reipublicæ christianæ pacatis diffidiis, in Suleima-
num

Philippi Re-
gis cum E-
lisabetha,
Henrici Re-
gis filia, nu-
ptie.

Emanueli
Philiberto
Margareta
Henrici so-
ror conu-
bio juncta.

Joanner
Capellius in
Galliam, M.
Antonius
Amulius in
Hispaniam
oratores de-
signati.

*Suleimani
filiorum de
regno dis-
sensiones
Turcas a
Pannonico
bello amo-
vent.*